



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Cap. X. Repetitio, & conclusio Ordinis Angelici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

CAPVT IX.

De Principibus, Archangelis, & Angelis, & de ultima eorum Hierarchia.

DOcet Principatum significare potestatem deformiter Principandi, & gubernandi. Archangelos iure quodam hierarchico medietate sua continere extremos. Angelos res mundanas magis attingere, noltrique esse rectores.

Quod non proficiamus, nobis, & non Angelis nec DEO imputandum esse. Providentiam DEI esse in omnes.

D. Thom. 1. p. q. 108. art. 2. ubi probat in una hierarchia esse plures ordines, & 2. ad ordinem Principatum pertinere esse primos in executione eorum quae imperantur, cum ex Dion. sit ductivus cum ordine sacro & ar. 6. convenienter in hac ultima hierarchia poni principatus ut primos, Archangelos ut medios, Angelos ut ultimos. Et 1. 2. q. 98. a. 5. ex eo quod dicat Dion. multos gentiles per Angelos fuisse reductos ad DEUM, colligit potuisse salvari sine observantia legis veteris. Et 2. 2. q. 2. a. 7. sibi objicit eandem auctoritatem respectu necessitatis fidei implicitae vel explicitae incarnationis. Et 3. p. q. 64. a. 7. non ex eo quod Angeli sint Ministri superiores hominibus sequitur posse Sacramenta ministrare.

Similiter 2. Sent. dist. 11. q. 1. a. 2.

Documentum 20.

Nequē enim coactam habemus vitam: neque per providentiam propriam potestatem, divina lumina provide illuminationis revelantur: sed intellectuum visionum dissimilitudo, super plena paternae bonitatis lucis donationem, aut omnino non participatam facit, ad eorum reformationem non distributam: aut participaciones facit diferentes: parvas, aut magnas, obscuras aut claras; unius & simplicis, & semper eodem modo se habentis, & superexpansis sicut alii radii.

Expositio Hugo.

Neque enim coactam habemus vitam: neque per providentiam propriam potestatem, divina lumina provide illuminationis revelantur: sed intellectuum visionum dissimilitudo, super plena paternae bonitatis lucis donationem, aut omnino non participatam facit, ad eorum reformationem non distributam: aut participaciones facit diferentes: parvas, aut magnas, obscuras aut claras; unius & simplicis, & semper eodem modo se habentis, & superexpansis sicut alii radii.

Itaque divina lumina provide illuminationis: quia per ea DEUS provide illuminat: illa quidem non revelatur per propriam potestatem providentiam, id est, eorum, qui ex eis acceptis providentes fiunt: vel provisorum, id est, eorum qui provisi sunt, vel predestinati à DEO ad illa accipienda. Notandum quod ubi nos revelantur, habemus, alia littera habet obsecratur: quae licet diversa sint, ad eandem tandem veritatem astringendam pertinent: ut, sc. ostendatur, quod utrum divina lumina revelentur, an obsecratur & abscondantur, non in potestate accipientium, sed in arbitrio dantis consistit. Sed tamen quamvis ipsa manifestatio, vel occultatio in eo-

rum potestate non sit: susceptio tamen nunquam sit, nisi cum eorum voluntate, quia rationale bonum est quod non potest nisi a cognoscente & volente percipi.

Igitur aut prava voluntate fit, ut omnino repellantur: aut differentia bonae voluntatis, ut dissimiliter participantur: hoc est quod dicit, sed intellectuum visionum, hoc est spiritualium oculorum, rationalium, sc. mentium, dissimilitudo facit donationem lucis venientem, sc. de superplena, hoc est de valde plena, & excellenter plena paternae bonitate: illa, inquam donationem facit ipsa dissimilitudo, aut omnino non participantem, & non distributam ad eorum, sc. visionum reformationem: aut facit participaciones diferentes, hoc est parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius sicut alii radii, & simplicis, & semper eodem modo se habentis, & superexpansis.

Hinc colligitur revelationes & illuminationes divinas ut fiant nobis, non pendere à nostra voluntate, bene tamen ut à nobis recipiantur & credantur.

Vide Resolut. 53.

CAPVT X.

Synagoga Angelica ordinationis repetitio.

DOcet sublimiores Angelos modo sublimiori illustrari, & in hoc subordinationem habere. Omnes Angelos & homines triplici pollere facultate, ita ut qualibet mens sive Angelica, sive humana habeat primos, medios, & ultimos ordines seu potentias, quae sunt capaces expiationis, illustrationis, & perfectionis.

Citatur à D. Th. 1. p. q. 108. a. 3. in uno quoque ordine esse primos, medios, & ultimos, unde non esse simpliciter aequales. Et in 2. Sent. dist. 9. q. 1. a. 2.

Documentum 21.

Addiderim autem fortassis, & non incongrue, quod & secundum se ipsum unusquisque & caelestis, & humanus animus specialiter habet & primas, & medias, & ultimas ordinationes & virtutes ad dictas per antiquamque hierarchiarum illuminationum proprias analogas proportionaliter manifestat.

Exp. Hug. Sensus est, quod non solum universalis hierarchia in primam, medianam, & ultimam hierarchiam: & singulae hierarchiae in primos, & medios, & ultimos ordines; & singuli ordines in primos, & medios, & ultimos spiritus dividuntur: sed etiam singuli spiritus Angelici, & humani in semetipsis virtualiter discreti sunt: primas & medias, & ultimas virtutes continentes: per quas propriis analogis, id est, sicutum ductioibus, sive ascensionibus ab infimis ad medias, & à mediis ad supremas, secundum hierarchicas illuminationes proportionaliter accedentes: participes fiunt, quantum eis possibile, divinae purgationis, quae est incognitissima & occultissima, quae intime purgat, & divini luminis, quod est plenissimum, quia omnes tenebras fugat: & divinae perfectionis, quae est antepfecta: quia cunctis & prior est aeternitate, & superior dignitate, & plenior veritate,

Hierar.

Hierarchicas autem illuminationes idcirco proportionales dicit, quia in sacris potestati- bus, ubi alii superiores, alii inferiores consti- tuti sunt, divinas illuminationes non omnes uno modo percipiunt. Superioribus enim & capacioribus in donis gratiæ amplius tribuitur: inferioribus secundum modum capacitatis suæ minus participandum præbetur. Secundum hunc itaque modum, quo vel in singulis hierar- chiis, diversis ordinibus, & diversis animis dif- ferenter divini illuminationes tribuuntur, u- nusquisque etiam animus in semetipso in eis- dem illuminationibus rationabili differentia à minoribus ad majora excrefcens provehitur... propter has igitur ascensiones gradus virtutum dispositi sunt, per quas videlicet ascensiones unumquodque, id est, unusquisque animus ascen- dens per eas fit in participatione si fit particeps superincognitissimæ purgationis, & plenissimi luminis, & antepfectæ perfectionis &c.

Ex quo documento & expositione ejus in- ferunt Mylici, quo major fuerit purgatio, eo majorem futuram illuminationem, & perfe- ctionem. Et non ascendendum ad contempla- tionem quæ exerceatur in parte superiori, quin prius exerceatur meditatio quæ fit in parte me- dia, id est, imaginatio & ratio. De quibus videatur N. Josephus à JESU MARIA in 1. p. Asc. lib. 3. c. 1. & Concord. Myst. l. 1. c. 1. n. 5. & l. 2. c. 1. n. 3. & c. 17. n. 2. Videatur etiam infra Resolutio 14.

Potest etiam applicari ad illam celebrem distinctionem portionum animæ infimæ, me- diæ, & supremæ, de qua aliquid diximus in ca- tena Prop. 1. Ref. 3. & de quo etiam infra dicta Resolut. 14. & 21.

Documentum 22.

I Oquendo S. D. de 1. hierarchia in principio hujus capituli ait: *in eam immediate ascendendo occultior, & manifestior divinitatis illuminatione purgatur, & illuminatur, & perficitur: occultior quidem antiquam invisibilior, & magis simplicata, & unificata: manifestior vero ut ante data, & primo lu- cet, & universalior, & magis in eam (ut oportet) forma effusa.*

Expositio
Hugo.

Exp. Hug. Sensus est: quia divina illumina- tio in istam hierarchiam primo effunditur, idcirco ipsa perfectius illuminatur. Quanto au- tem perfectius ii qui in ea sunt, spiritus unam illuminationem suscipiunt, tanto perfectius & clarius lucentes in ipsa una forma unius lumi- nis unum fiunt: & quod in ipsis diversum ex na- tura multipliciter distinguitur, una claritatis forma superveniente cunctis dissimile non vi- detur. Ita ergo ista hierarchia quia prius lucet, perfectius lucet: & quia perfectius lucet, uni- versalius, vel similis, vel expressius lucet: quia expressius lucet, manifestius lucet. Quæ ergo essentialiter occultior est, formaliter est mani- festior: & quæ subtilior est ex natura, clarior est ex gratia. Hæc ille.

Hinc dicunt Mylici universales actus contemplationis perfectiores esse particulari- bus, de quo N. Josephus à JESU MARIA 1. p. Asc. l. 2. c. 1. & c. 14. & l. 3. c. 22. Concord. l. 2. c. 11. & l. 3. c. 9.

Videatur Resolut. 69. & 70.

CAPVT XI.

Quare omnes caelestes essentia communi- ter virtutes caelestes nomi- nantur.

R Espondet S. D. caelestes spiritus dividi in essentiam, virtutem, & operationem: Unde licet *virtus* sit proprium nomen secundi ordinis secundæ hierarchiæ; tamen omnes communi- ter possunt appellari virtutes, quia virtutem ali- quam habent.

Citatur à D. Thom. 1. p. q. 108. a. 5. ad 1. & in 3. p. suppl. q. 73. art. 3. & in 2. dist. 10. q. 1. a. 2. in quibus locis eadem doctrina de nomine *virtutis* invenitur, nihilque peculiariter ad my- sticos spectans.

CAPVT XII.

Quare secundum homines hierarchia Angeli vocantur.

R Espondet, Antistes vocari Angelos, quia in docendo participant Angelicam proprietatem, & in munere interpretandi: Ange- los etiam, & homines sanctos vocari Deos, quod DEUM imitentur, quia possunt, & ad ejus unionem convertantur.

D. Th. citat hoc cap. 2. q. 2. a. 6. & in 2. dist. 10. q. 1. a. 2. & q. d. diver. q. 29. a. 5.

CAPVT XIII.

Quare à Seraphim dicitur purgatus fuisse Propheta Isaias.

D icit Angelum vocari Seraphim ex munere purgandi, item supremo ordini attribuit post DEUM omnem illustrationem inferiorum. In visione Isaiæ explicat quid significent alæ Seraphim, quid hymnodia &c.

Citatur à D. Thom. 1. p. q. 112. a. 2. ubi cum Dion. resolvit Angelos inferiores tantum mit- ti, de lege ordinaria, similiter, in 1. dist. 15. q. 1. a. 1. & dist. 17. q. 1. a. 4. & in 2. dist. 10. q. 1. ar. 2. & 4. & dist. 11. q. 1. a. 2.

Documentum 23.

I N omnibus intellectibus proportionaliter superlu- cet &c. Solaris radii distributiones in primam ma- teriam bene distributa implent omnium lucido- rum: & per eam manifestius propriis declarat splendores: accedens vero crassioribus materis obscuriorem habet distributivam super appropria- tionem ex illuminatione materiarum ad illumina- tionis distributivam habitum in opportunitate, & paulo post ex hoc ad perfecte fere in- distributum coarctatur. Iterum ignis caliditas magis se ipsam distribuit in capaciora, & ad similitudinem suam bene convenientia, & fa- cilia.

Exp. Hug. cum DEUS omnibus communi- ter superluceat, distribuit propriam illumina- tionem secundam hoc quod unaquæque dispo- sitio sive ordo secundum propriam mensuram capax

Lux spi- rituali- mentes puras e- deseca- perfecti- illumi- nat.

Expositio
Hugo.